

27

I. N. 3. c.  
DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> GRADUALIS,  
DE  
**DIVERSITATE  
ANIMALIUM  
EXISTENTIAM DIVINAM  
ADSTRUENTE,**

QUAM,  
approbat<sup>e</sup> Ampliss. Facult. Philosopb. In Reg. Acad.  
Aboënsi,  
PRÆSIDE  
Maxime Reverendo atque Celeberrimo VIRO,  
**D: NO DOCT. CAROLO  
MESTERTON,**  
Log. & Metaphys. PROFESS. Reg. & ORD.  
Publicæ censuræ modestè offert.  
**LAURENTIUS LEIMAN,**  
AUSTRO-FINLANDUS,  
Die XIV. Junii MDCCCLX.  
L. H. A. M. C.

---

ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Due  
Finland. JACOB MERCKELL.

MULTA MIMA  
MANIVICIA MAITINIA  
EXISTENTIA PROEMIUM.



Eum existere adeo manifestum est, ut illi, qui certitudinem hujus veritatis in dubium trahere non erubescunt, non tantum nodum, ad instar delirantium, in seipo querere jure omnino videantur, verum etiam facie magis, quam fascetiis ridiculi sint; nam argumenta, quibus haec veritas adstruitur, e longinquo in mundis possibilibus conquirere non opus est, quum praefens hocce universum non modo omnibus illis palmam præcipiat, sed etiam est ad hoc sufficientissimum, adeo ut longe facilius est talitro plejades vulnerare, quam oculos suos adeo occidere, ut non rerum, quibus hoc sistema mundanum absolvitur, videat repræsentationes, existentiam Divinam vividissime delineantes. Vastissimus, hoc est, infinita rerum copia scatens, est praefens hic mundus, sed juxta artificiosissimus & plane mirificus, qui limitatam mentis aciem non infinitis solum parangis

\* \* 3 3 ( \* \*

sangis superat, verum etiam eandem penitus obtundit im-  
mensitasque suæ abyssæ ex toto immergit. Nam quot sunt  
res, sunt autem infinitæ, tot quoque sunt artificia  
sapientiæ atque omnipotentiæ Divinæ plane stupenda. In-  
ter cetera illa, in quibus infinita Numinis potentia sapien-  
tia atque bonitas mirifice splendet fulgore, specimina, si  
non primum, certe nec ultimum sibi vindicat locum diversi-  
tas illa animalium, qua unum genus ab altero, una species  
ab altera, & quodvis individuum a reliquis ejusdem spe-  
ciei dignoscitur. Ne itaque mireris, Benevolè Lector,  
quod ego honores philosophicos ambiens, hanc materiam  
dignissimam, nobilissimamque in dissertatiuncula hac mihi  
edendam elegi. Elegi inquam, non ut eandem explicarem,  
hoc enim est munus, cui obeundo nec vacillans ingenii  
mei vis, nec rei domesticæ angustia longe maxima sufficit;  
sed potius ut eandem obmutescens admirarer, Divinique  
Numinis immensam potentiam, sapientiam atque bonitatem  
hac in re non minus, quam in ceteris conspicuam devotissi-  
mus flexisque genibus venerarer, exactam materiae hujus  
non minus amplissimæ, quam dignissimæ, excussionem, tre-  
tus Tuo favore, L. B. alacriori relinquo calamo.

§. I.

**I**N controversiam illam, in recentioribus hisce præsertim  
temporibus variis animorum motibus inter eruditos agi-  
tam: utrum sit possibile, ut duo plurave entia sibi in-  
vicem absolute similia existere possint? inquirere nec brevi-  
tas proposita, nec instituti ratio permittit. Hoc saltem vel  
duobus tantummodo attingimus verbis, quod entia absolu-  
te diversa non sint possibilia; nam licet in omnibus aliis

prædicatis a se invicem different, attamen vel in sola entis generali ratione conveniunt. Quando itaque nos impræsentiarum diversitatem in animalibus conspicuam paucis evolvere constituimus, per illam non absolutam, sed respectivam tantum intellectam volumus diversitatem, quod vel nobis non monentibus sudo clarus est; quia non entis nulla est scientia. Si animum nostrum ad animalia penitus consideranda advertamus, deprehendemus in illis prædicata, quæ in tres præsterrim abeunt classes, differentiam animalium constituentes. Nam quædam horum prædicatorum ejus sunt indolis, ut nec a se invicem, nec ab alio priori in ipsa animali determinentur natura, sed conceptum ejus primum (scil. materialem) hoc est, ipsam essentiam absolutant, eamque ob rem essentialia vocari sverunt; quædam, quæ secundam constituant classem, sunt ejusmodi, ut rationem suam sufficientem, cur animali insint, in solis essentialibus agnoscant, attributorumque veniunt nomine; & licet hæc essentiam animalis non absolvant, ita tamen eidem involvuntur, ut vix & ne vix quidem ab essentia sine totali ejusdem destructione separari queant. Quædam denique harum affectionum sunt ejusmodi, quæ rationem inexistentiæ suæ ipsarum sufficientem non in ipsa essentia habent, sed requirunt alias, ab essentia diversas, rationes, quæ eur actu insint, determinant, & accidentia appellari solent. Vid. Wallerii syst. meth. §. 364. Duæ priores allatarum classium utpote adselectiones, quæ nunquam a natura animalium separari & consequenter nullis mutationibus obnoxia esse possunt, essentiam in regno animali constituant diversitatem, quæ efficit, ut una species alteri salvis omnibus suis prædicatis substitui nequeat; ultima vero classis accidentalem absolvit diversitatem, quæ ad discernenda dignoscendaque individua a se invicem, hoc est, unum animal ab altero, maxime necessaria est. Hæc iterum in duas abit classes, quarum

quarum una intrinsicā, altera vero extrinsica, quae in varietate formarum externarum in omnibus animalium speciebus conspicua est. In utraque tam essentiali quam accidentalī diversitate animalium infinita non minus bonitas, quam sapientia summi elucefecit Numinis. De cetero nos per affectiones in præsenti non intelligimus communes, quae similitudinem animalium absolvunt, sed proprias unicuique speciei & animali individuali, quae tam differentiam specificam, quam numericam constituant.

### §. II.

**Q**uantum ad diversitatem animalium essentialē attinet, tantum abest, ut haec in rerum natura, casu fortuito in thronum Divinitatis ad res producendas evenio, locum obtainere queat, ut potius constantissimus ille in hac diversitate conspicuus ordo, citius, serius ex toto in summam abiret confusionem immo penitus evanesceret mundusque totus, quantus sit, si quis foret, se ut theatrum monstrorum maxime horrendorum sisteret. Nam quemadmodum materia, ut athei absurde adserunt, existens ab æterno, est plane impossibilis, ceu abortus cerebri laborantis, ita & ortus animalium per putrefactionem, utpote tam ex priori, quam ex posteriori luculentissime constat, est prorsus, absurdus, immo ipsum epistylum absurditatis, quo monstruosus ne princeps quidem stygius excogitare potest. Si ortum, de quo loquimur, vel leviter tantum perlustramus, mox in illo, ceu limine hujus vitæ, animalia a se invicem mirum quantum differre animadvertisimus, nam alia horum viva in theatrum hujus vitæ protepiunt; alia vicissim ovis inclusa in scenam actualium seu viventium procedunt, quod vel

per calorem incubatione matrum excitatum, vel per efficaciam solis promovetur. In numero pullorum, qui non in diversis solum speciebus diversus est, verum etiam in ipsis individuis ejusdem speciei haud raro mirum in modum variat, provida Numinis cura stupendo plane modo se se nobis exhibet venerandam; certe si leones aliaeque bestiae ferocissime tanta copia genus propagarent suum, quanto a piscibus hoc fieri comperimus numero; quis tanti crudelissimi exercitus, qui ad instar aquarum copiosissimarum totum inundaret orbem, sustineret devastaciones? certe totum genus humanum vix ac ne vix quidem, nedum lascivens somnolentaque atheorum phalanx, tantis hostibus expellendis extirpandisque sufficeret. Per agratis generationis angustiis nutricium animalium uti mirificum, ita & variabile, accedit. In hoc, qui summi Numinis vestigia non videt, talpa certe caecior est; nam non solum in ciborum, quibus versuntur, genere a se invicem differunt; verum etiam in ipso sustentationis modo, qui in quibusdam animalium speciebus ab ipsis matribus vel utrisque parentibus conjunctis quasi viribus, donec ipsis sibi cibum comparare queant, peragitur, in reliquis vero ab ipsis pullis recens natis, qui ipsi omnia ad vitam sustentandam colligunt necessaria. Nervose itaque ad hæc omnia attendens Cicero dixit Libri 2. De Nat. Deorum: *Large & copiose natura, eum, qui cuique aptus erat, comparavit.* Enumerare possum ad eum paucum capassendum, conficiendumque, que sit in figuris animalium & quam solers subtilisque descriptio partium, quamque admirabilis fabrica membrorum. Omnia enim qua quidem intus inclusa sunt, ita nata atque ita collocata sunt ut nihil eorum supervacaneum sit, nihil ad vitam retinendum non necesse sit. Admiranda certe est corporum structura atque interna constitutio ceu fabrica, quæ uti varia ita varilis ciborum generibus, aut conservatur, aut destruitur, & quod unius

nius corporis fabricam destruit, alterius conservat; hinc  
 sagacitas illa animalibus naturalis, qua ea, quæ naturam  
 eorum destruunt, aversantur, & vicissim illa, quæ conser-  
 vationem ejusdem promovent, a noxiis discernunt appetunt-  
 que, digitum sapientiæ Divinæ nobis vividissime delineat.  
 Et quamvis nulli dubitamus animalibus in genere simplicem  
 adferre animam, quæ in una quaque specie corpus, natu-  
 ræ suæ conveniens, sibi conjunctum habet, utpote considera-  
 tio Sapientiæ Divinæ nos condocet, penitorem tamen hu-  
 jus perlustrationem impræsentiarum siccо transimus pede,  
 differentiam tantum in corporibus eorumque membris ob-  
 viam brevissimis perstringentes. Ast in stupendo hoc re-  
 rum oceano tot & tanta mihi obversantur artificia diversæ  
 structuræ indolis, ut nesciam ubi pedem figam. Varietas  
 hæc licet sit longe maxima, tantum tamen abest, ut  
 imperfectionem animalium speciebus inferat, ut potius per-  
 fectionem arguat, sine qua nunquam finem sibi præfixum  
 obtinere possent; quippe quod in una corporis parte defi-  
 cere videtur, altera abunde compensat atque supplcit. Hæc  
 ne gratis dicta quis existimet, vel verbo tantum attingere  
 non pigebit differentiam illam plane mirificam, quæ in a-  
 nimalibus terrestribus volatilibus, aquatilibus & amphibiis,  
 quæ medium quasi agere videntur inter aquatilia atque terre-  
 stria, in genere nobis obvia est. Terræstrium præsertim  
 quadrupedium, quibus injunctum videmus, ut vicum in  
 terra sibi querant, stupendus naturæ artifer membra ita  
 confecit, ut caput in terram pronum haberent, totque in-  
 struxit pedibus, quot ad motum naturæ convenientem absolu-  
 vendum sunt necessarii, ut nihil de sensuum organis, natu-  
 ræ unius cujusque speciei admodum atissimis, dicam. Volatilia  
 Sapientissimum Numen duobus tantum prospexit pedibus sed  
 ita collogatis ut motu eorum peragendo faciant, quod satis est;  
 præterea concessit illis optimus naturæ artifex alas, quibus ad  
 motum

motum, seu transitum in aëre peragendum sunt promptissima,  
 caudaque sua, ceu gubernaculo, cursum pro lubitu dirigere  
 possunt; ast brevitas proposita, prohibet, ne sim multus in  
 structura alarum pennarumque admiranda perlustrandaque;  
 tot enim nobis in hisce obvia sunt sapientiae, potentiae &  
 bonitatis documenta, ut sana attentio non possit non peni-  
 tus hebescens obstupescere. Structutam corporum amphibi-  
 orum ita formavit digitus omnipotens, ut in aquis aque,  
 ac in aridis vitam transigere vietumque suum querere queant.  
 Aquatilia denique proprie sic dicta habent branchias, pul-  
 monum stationem exacte agentes, vesicamque, qua aëre re-  
 pleta pisces sese in aqua, ceu corpore specifice leviori i-  
 psis piscium corporibus, pro lubitu, elevare & demittere pin-  
 quisque aquarum spatia peragrare possunt. Vestitus piscium  
 viri varius ita & exornatissimus stupendaque arte confectus  
 est, qui casum fortuitum ex toto rerum ambitu procul fa-  
 cessere jubet. „Fiskarna äro omgifne med fäll, hvilka i  
 den härligaste symmetrie betäckta hela kroppen. Thesse ä-  
 ro för den som et harnesk, at hwarcken watnet kan trän-  
 ga sig in uti deras lösa kjött, ei eller skafwa sig emot  
 någon sten och saledes gjöra sig skada: des utom  
 hindra de, at den naturliga värmman får intet för mycket  
 utdunsta, inquit Kryger in Theol. Nat. Part. I. §. VI.  
 Alia vicissim piscium, genera quæ squamis destituantur,  
 materia quadam pingvi atque tenaci, quæ squamarum de-  
 sedum abunde supplet, circumducta atque indua sunt. Sed  
 ut paucis multa expediam, allegans verba Plinii dicentis:  
 Unum (scil. hominem) animantium cunctorum alien's velat opio  
 bus (scil. natura) Ceteris varia tegumenta tribuit, testas, cor-  
 tices, os, spinas, villos, setas, pilos, plumam, pennas,  
 squamas, vellera &c. In Proem. ad lbr. VII. Hist. mund.  
 Variant præterea animalia, tam magnitudine, quam robore,  
 quod non semper est magnitudini corporis proportionatum,  
 sed

sed æque hac in re, ac in ceteris, sapientissime infinita non minus, quam nunquam satis admiranda Numinis cura bonitatis suæ distribuit thesauros; nam quibus vites ad vitam contra insultus insidiantium defendendam desunt, aliis armis eadem immensa instruxit sapientia, ita ut haud raro animal robustius infirmiori succumbere videamus; illis vero, qui viribus, armis vita conservandæ necessariis destituuntur, alia prospexit ratione, ita ut periculis imminentibus vel fugæ celerritate vel solertia calliditateque naturali se facillime subducere queant; quod vel leporum monstrat exemplum, qui oculorum auriumque beneficio pericula evitanda citissime tempestiveque, videlicet pedumque velocitate eludere possunt. Sunt hæc generatim tantum de essentiali animalium varietate dicta; quia cartulæ hujus angustia plurium, quæ in inferioribus animalium speciebus unicuique attento naturæ scrutatori sunt obvia, non est capax.

## § III.

**E**ssentiali animalium diversitate levissime quasi prælibata, quædam de accidentalis, ut proferamus instituti requirit ratio. Quævis individua animalium non essentialibus, quippe quæ in singulis individuis unius ejusdemque speciei sint eadem perfecteque sibi invicem similia, sed in accidentalibus mirum in modum differre res est noto notior, constantissima experientia confirmata. Hæc animalium differentia non una, aut altera re absolvitur, sed infinita fere in hocce etiam momento nobis occurunt, quæ attentionem omnino merentur. Nam heic colorum, corporis, dispositionis magnitudinis & proportionis relativæ, & quidem, tam singularum ejus partium conjunctim consideratum, quam unius alteriusve præcise, diversitas, æternis sapientiam Divinam concelebrat laudibus. Dic quæso! quot in oeconomia existerent rixæ contentionesque ex invitabili-

bus confusionibus, quibus similitudo omnimoda est obnoxia, oriundæ; si non liceret nobis nostra ex aliorum animalibus discernere! infinitæ certe, quæ miseriam mortalium minimum quantum augerent, dominiumque in animalia penitus tollerent. Unde tot tantaque mala enasterentur, ut ea ipsa civitatum fundamenta non concuterent solum, sed etiam penitus everterent; quia hoc in casu, concordia inter cives colenda, quæ est quasi anima civitatis, per continuas rixas nunquam non perturbaretur, immo in tosum proscripteretur, præterquam quod agricultura & quæ sunt cetera, sublato animalium dominio, summam suam deplorarent miseriam. En itaque existentiam Divinam, quæ infinita potentia, sapientia atque bonitate hac quoque in re actualitatem suam testatam voluit. Et quamvis angusta res nostra domestica præter alias rationes haud leves, brevitatem nobis injungat observandam, tamen, ne medullam rei sicco transisse pede videamus, priusquam filum abrumpamus, nonnullas coronidis loco delineationes de hominum differentia allatis adjungere non pigebit. De erecta illa statura, qua homines ab omnibus animalibus æque ac rationalitate animæ destinguntur, aliquam injicere mentionem non vacat, accidentalem diversitatem nobilissimorum horum animalium ob quorum utilitatem omnia reliqua existunt creata, vel summis tantum attingemus digitis. Adeo stupenda heic nobis obversatur, diversitas ut ne ab ipsis orbis nostri incunabulis in hunc usque diem duo homines existenterint, qui sibi exacte fuissent similes. Traditur quidem antiquos illos servitos, qui gemini fuerint, maxime sibi similes fuisse, sed num censes etiam eodem esse? non cognoscebantur foris; ac domi: non ab alienis, at suis, verba sunt Ciceronis, adeo ut inter hos quoque locum omnino obtinuerit diversitas illa accidentalis. Quid? quod proscripta hac inter hominis discrepancia nulla securitas nedum felicitas, civilis consistere possit; quia

8

ut

ut verbis utar Cel. Dni Buddei, quæ in Thesi de atheismo & superstitione, Cap. V. §. VI. leguntur, in pactis, conventionibus, contrahibus, nemo certus esse posset, quocum sibi esse negotium. Mox enim unus negare posset, secum actum esse, mox alter, quocum actum non erat, hoc affirmare. Nullum punire temere crimen, quantumvis atrocum, posset, cum nemo, quis illud commisisset, certus esse posset. Principes rerumque dominos tollere e medio, atiosque in illorum substituere locum, nisi vultum prohiberet varietas, facillimum admodum foret. Hinc matrimonia resque oeconomicæ, tam privatæ, quam publicæ in summam incidenter confusionem, adulteria vero fraudesque infinitæ ruinam toti generi humano citius serius accelerarent totalem. Ast quot & quanta hæc sunt mala, sunt autem omnium maxima, tot in vultuum varietate, quæ hæc quasi unico iœtu prosternit, nobis occurunt sapientia atque bonitatis Divinæ testimonia longe evidentissima: Maxima hæc est vultuum varietas, sed non sola, nec in omnibus casibus sufficiens; hujus itaque defœtum vocis varietas quæ non est minus sapientia Divinæ artificium, quam varietas vultuum, aliquatenus supplet. Hæc commoda sua non in vita civili solum, verum etiam in ecclesia adiscenda promovendaque abunde distribuit; nam quod unus hominibus convertendis non valet præstare, alter vocis vehementia atque efficacia, duritiem cordis flectente, feliciter efficit, ut cetera taceamus. Huic accedit varitas scripturæ, quæ quot & quanta civitati importet emolumenta, nemo nisi, admodum hospes fuerit rerum humanarum, ignorat. Has denique varietatum species excipit diversitas dotum animæ, hæc facit, ut unus ad hæc munera obeunda sit aptior, quam alter; alter vero ad alia vicissim subeunda præstandaque majorem habet habilitatem; quod quantum visæ sociali & civili conferat commodi, dici vix potest. Hæc & alia, quæ brevitati litantes præterivimus, qui æqua atque fana

sanae judicii lance penitaverit, non potest non facillime Divinam existentiam, in hisce delicescentem, invenire. Maxima & infinite varia est hæc animalium diversitas, sed sapientissime attemperata h. e. ad fines certos sapientissimosque, qui, quotquot sint, omnes in gloriam Divinam illustrandam conspirant, adornata. Pia itaque devotissimaque mente agnoscamus veneremurque infinitam hanc sapientiam, potentiam atque bonitatem, quæ hæc omnia, quanta quanta sint, in usum nostrum ut cedant, sanctissima decrevit voluntate. Hoc enim existentia nostra ut ceterarum rerum creatarum est.

### FINIS.

